



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

259. Dominica 13. post Pentecost. De Abstinencia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

462 *Sabbato Domin. 12. post Pentecost.*
me quasi in speculo: anima enim & corpus meum
puriora sunt Sole, & mundiora speculo. Non
est dulcedo, qua non est in me: adeo eam Deitas
in se conclusit sive quod existentibus in gra-
tia ipse Spiritus sanctus secundum substan-
tiam detur, sive quod Virgo Christum in
utero habuerit, in quo erat unita divinitas,
& humanitas.

Conf. 2. Quomodo utramque charitatem
Dei & proximi exercuerit in Filio Dei, & suo,
& in omnes corde, verbo, & opere, & adhuc
in caelis, exerceat.

Conf. 3. Praeposita hujus septimane fa-
cta, eamque ad S. altare pedum B. Matris
deferam benedicenda, & exercenda, ut vivam
amore, & amore moriar.

MEDITATIO CCLIX.

Dominica 13. post Pentecosten.

De e Abstinentia.

Videbo Dominum meum a propositis
ciborum cupidis abstinentem, pane,
pisce, aqua contentum, imò & 40. diebus
ac noctibus inter bestias spontè jejunum.
Petam eum imitari.

Conf. 1. Abstinentia est virtus, quâ volu-
ptatem in usu ciborum sitam refrenamus,
& debitum modum in eorum sumptione
constituimus.

Conf. 2,

Dominica 13. post Pentecost. 463

Conf. 2. Incitamenta ejus sunt: Christus Dominus perpetuò abstinentiam colens, parcissimè cibus utens, qui extra tempora nunquam legitur comedisse, sed bene serò manducabat, cibum vilem, & modicum, sapiùs esurijt, sapiùsque sitiijt, ejus potus frigida petita à Samaritana, myrrhatum vinum, acetum, & fel. Oblatos cibos postposuit convertendæ Samaritanæ. Nunquam legitur comedisse carnes, nisi Agni Paschalis, quod fecit in typo & figura. Ludolph. part. 2. cap. 53. Ad suum convivium, quod bis instituit, panes adhibuit hordeaceos, & pisces, cibos facilè parabiles, & solùm miraculum facit in multiplicatione, non mutatione qualitatis. Viator Christus multùm jejunavit ductu Spiritus S. gloriosus autem propositam piscis assis non integri partem cum favo melis comedit. In hac abstinentia exercuit Discipulos, & turbam, de qua ait D. Chrysost. Hom. 54. in Matth. *Nulla procuranda mensæ sollicitudine tenebatur* Præter imitationem Christi invitatur ad abstinentiam ejus finis, quia ordinatur ad tollenda vitia, virtutes acquirendas, tentationes superandas; propterea, quòd spiritum elevet, rationem illuminet, confortet voluntatem, & copulata orationi abstinentia multa bona à Deo impetret, eamque Deus in hac vita

V 4 suis

464 *Dominica 13. post Pentecosten.*

suis, suorumque Angelorum consolationibus Matth. 4. remuneretur. Denique in *famentium multorum societate cibis distendi crudelitas videtur*, ait D. Laurent. Justinian, Lib. 20. de Discipl. Monach.

Conf. 3. Actiones ejus sunt: 1. Cibos ab Ecclesia vetitos pro tempore, non sumere. 2. Jejunia Ecclesie servare, & ex consilio aliqua suscipere. 3. Horam consuetam refectio- nis tenere. 4. Laetiora & pretiosiora aver- sari. 5. Communes cibos libenter assu- mere. 6. Quantitatem solum necessariam admittere. 7. Ante refectio- nem, cibi cogi- tationem excludere, in actu edendi avidita- tem cohibere. 8. Ex quantitate, qualitate, & numero esculentorum ea omnia detra- here, quae sanitati corporis, & puritati men- tis officerent, juxta illud: *Sanitas est anime & corpori sobrius potus*, Eccli. 31. cujus forte defectu tot hodie leprosi Christo occurre- runt. Dicebat S. Bernardus serm. 25. inter parvos. *Tria sunt, quae faciunt sanctum, victus sobrius, actus justus, sensus pius: Addam ego quartum, Eucharistiae esus.*

MEDITATIO CCLX.

Feria 2. Domin. 13. post Pentecost.

De Beneficentia.

Videbo D. JESVM visceribus misericor- diae